

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0809

Martedì 28.12.2010

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DI CHIUSURA DELL'ANNO GIUBILARE DELLA CHIESA IN VIÊT NAM (SANTUARIO MARIANO DI LA VANG, 4-6 GENNAIO 2011)**

◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DI CHIUSURA DELL'ANNO GIUBILARE DELLA CHIESA IN VIÊT NAM (SANTUARIO MARIANO DI LA VANG, 4-6 GENNAIO 2011)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DI CHIUSURA DELL'ANNO GIUBILARE DELLA CHIESA IN VIÊT NAM (SANTUARIO MARIANO DI LA VANG, 4-6 GENNAIO 2011)

Il 18 dicembre scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Cardinale Ivan Dias, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, ad Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni di chiusura dell'Anno Giubilare della Chiesa in Viêt Nam (nel 350° anniversario della creazione dei due primi Vicariati Apostolici e nel 50° anniversario dell'istituzione della gerarchia cattolica), in programma presso il Santuario Mariano di La Vang nei giorni 4-6 gennaio 2011.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Antoine Duong Quynh, Cancelliere dell'Arcidiocesi di Huê, e Rettore della Cattedrale di Phu Cam, Huê;
- Rev.do P. François Xavier Vu Phan Long, OFM, Segretario della Commissione Biblica della Conferenza Episcopale vietnamita.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Ivan Dias:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IVANO S.R.E. CARDINALI DIAS
Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefecto

Evangelici nuntii seminandi opus, olim a missionariis plurimas inter difficultates inchoatum, uberrimos attulit fructus, cuius peculiare primitias constituunt sancti martyres Andreas Dunc-Lac eiusque Socii. Ecclesia igitur in Vietnamia cum laetanter recordetur fidei suae origines, renovare simul cupit et augere apostolicum fervorem quo nova illic promoveatur evangelizatio. Optimam autem occasionem praebet nunc duplex commemoratio magni ponderis vitae eius eventuum, videlicet trecentesimo et quinquagesimo anni a creatione ibidem duorum primorum Vicariatuum Apostolicorum necnon quinquagesimo anni ab institutione hierarchiae catholicae in Vietnamia.

De hac re, nomine totius Populi Dei morantis in Vietnamia, certiores Nos fecit Venerabilis Frater Petrus Nguyen Van Nhon, Archiepiscopus Metropolita Hanoiensis, Praeses Conferentiae Episcopatus Vietnamiae, atque filialem reverentiam et caritatem Nobis humaniter exprompsit, quam Nos magni aestimamus. Ipse quoque petivit ut Legatum Nostrum illuc mitteremus ad confirmandam eorum fidem catholicam vivamque communionem spiritualem cum beati Petri Successore atque Ecclesia universali.

Placet propositum laudare quod iubilare iter comitatur: "Eamus una cum Matre ad proclamandum Evangelium". Illud enim in memoriam reducit iter beatissimae Virginis Mariae ad Elisabeth cui festinans attulit gaudium et gratiam Salvatoris. Quare ex animo cupimus dilectionem spiritalemque Nostram necessitudinem iis manifestare, qui una cum Pastoribus haec sollemnia fidei catholicae illa in Natione sunt celebraturi. Cum autem Nosmet Ipsi hoc iter aggredi non possimus, de te cogitamus, Venerabilis Frater Noster, cui peculiarem hanc legationem committendam arbitramur qui sollicitam habes curam de fide propaganda uti Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefectus. Te igitur ad memoratos eventus designamus **Nostrum Missum Extraordinarium**, ut a die IV usque ad diem VI proximi mensis Ianuarii Nostras vices agas in sanctuario nationali loci vulgo dicti La Vang, ad quod multi christifideles peregrinantur, Mariali devotione concitati. Confirmabis grave munus Ecclesiae, quae «a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam et communicandam, opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit» (*Ad gentes* 10). Ad renovatum ideo studium apostolicum omnes hortaberis ita ut, vi spei quae ex fide oritur, amore erga Deum accensi laudes Deo praebeant, quoniam in aeternum misericordia eius (cfr *Spe salvi*, 37). Pro maiore prosperitate omnis populi Vietnamiensis exoptamus ut catholica huius Nationis communitas, his sensibus aedificata, interea corroborare valeat unitatem inter ipsos Pastores, ac vicissim inter Pastores et christifideles, ut foveantur humana et spiritualis institutio tironum ad sacerdotium, institutio permanens presbyterorum atque religiosorum religiosorumque necnon aequa laicorum praeparatio.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis Virginis Mariae atque sanctorum Martyrum Vietnamiensium. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Decembris, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01854-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0809-XX.01]

